

venire, & ia presentia inter se non cohererent. Veritas utique una est, qua potissimum ibi elucet, ubi eam consensus omnium defendit. Patres & Interpretes omnes Babylonis nomine in prima sui Epistola à Petro designatam fuisse Romam, ab Ecclesiae exordio ad hæc usque tempora, nemine refragante, docuerunt: Hunc igitur locum de Roma solummodo explicandum, liquidò constat.

Nonnulli ex Catholicis Scriptoribus, De Marca, Joannes Baptista Mantuanus, Michael Cesnas, Marcellus Paduanus, Joannes Aventinus, Joannes Lelandus, Carolus Molinæus, & fortè alii, qui eam in re non nihil hæserunt, frustra nobis objecerunt; eorum enim animus anceps distrahebatur ab his Protestantium argumentis, quæ jam perpendimus, & quæ ejusmodi sunt, quibus ipsius eorum sententia fautores minimè acquiescant.

In nostram adhuc sententiam insurgunt, quod nempe de anno, quo Petrus Romam contendit, inter Veteres non conveniat. Quare, ajunt, traditio, quam præferimus, utpote incertis innixa argumentis, penitus eorruit. Lactantius sub Nerone, Petri adventum statuit (b); Eusebius (c), Hieronymus (d), Ado, & alii plures Claudii anno secundo; Paulus Orosius (e) ejusdem imperantis exordio; quamquam anno Claudii secundo, recurrente Paschatis Festo, Petrum Jerosolymis extitisse (f), & à Rege Agrippa in vincula conjectum, Angeli ope divinitus evasisse certò scimus. Veterum plures annis quinque & viginti Romæ Episcopum sedisse ferunt (g); Claudii nihilominus anno decimo Concilio Jerosolymis coacto interfuisse (h), & anno post Concilium Antiochiam profectum, ibique à Paulo redargutum, constat (i). Paulus, qui Romam plures scripsit Epistolas (k), nusquam Petri meminit, quod utique, Petro Romæ degente, non præterisset. Juxta eorum hypothefim, qui Petrum annis quinque & viginti Romæ sedisse statuunt, quarto Neronis anno in ea sanè Urbe degebat; Paulus verò eodem anno ad Romanos scribens, plurimos, quibus valedicit, enumerans, Petrum penitus præterit. Porro apud Lucam in suis Actis de Petri Romam adventu perpetuum silentium.

b Lactant. de Morte persecutorum. c Euseb. in Chronie. d Hier. Catalog. in Petro. e Paul. Oros. l. 1. c. 6. f Act. 12. 30. Grc. g Pontifex Damas. Beda, Ispal. Ado, alii. h Act. 15. i Galat. 2. 11. k Epist. ad Coloss. ad Ephes. & 2. ad Timoth.

l Neronis ann. 6. Christi. 60.

m Act. 28. 22.

n Galat. 2. 8. Vide Salmas. de Primatu Petri.

Ubi Paulus Romam pervenit (l), Fideles omnes ad eum confluerunt; Petrus verò neque venientem excepit, neque captivum invisit. Invisere quidem Synagogæ Primarii, à quo & de Catholica Religione postularunt (m); Nam de secta hæc notum nobis, quia ubique ei contradicitur; qui eam utique non prætulissent incertiam, si à Claudii imperantis exordio Petrus Romam profectus, sedem ibi suam erexisset, erectamque firmasset. Petrus insuper & Paulus ita inter se convenerant, ut Evangelii laboribus sibi composito distributis, Paulus Ethnicos in Fide erudiret, Petrus Judæos (n): Cum vidissent, quod creditum est mihi Evangelium præputi, sicut & Petro circumcissionis, dederunt dexteram mihi & Barnaba societatis, ut nos

in gentes, ipsi autem in circumcissione. Quare cum Roma Ethnicorum esset Civitas, non ad Petrum, sed ad Paulum pertinebat. Præterquamquod Claudius Imperator Imperii anno 9. & Christi 49. seu aliquantò post, Judæos omnes Romam ejecit: abiisset igitur & Petrus; quomodo enim ibidem invito Imperatore consisteret, præsertim cum ejus mora conferre minimè posset ad circumcisos Christianos, qui unà cum Judæis, à quibus non secernebantur, ab Urbe discedere coacti fuerant.

Hæc omnium, quæ adversus sententiam nostram afferantur, validissima; cætera enim minimi prorsus faciendâ. Quibus tamen omnibus facile occurrimus. Quod atinet ad Scriptores nostros, qui de anno, quo Petrus Romam adit, non conveniunt, respondemus:

1. Ecclesia neque hanc probat epocham, neque illam improbat, neque horum sententiam accipit, neque illorum respicit, tantumque eò respicit, ut Petrum Romam constituisse confirmet. Semel, aut bis, sive primo, sive secundo, sive denique tercio Claudii anno Petrus Romam venerit, minimè inquirat; hæc verò omnia Chronologistis discutienda relinquit.

2. Qui Claudii anno secundo, & qui ejusdem imperantis exordio Petrum Romam profectum statuunt, inter se minimè pugnant; annus enim secundus Imperii, quod annis tredecim, mensibus octo, & diebus viginti Claudius gessit, optimè Imperii initium adhuc appellatur. Nihil verò prohibet, quominus Petrus in Paschate anni secundi Jerosolymis adfuerit, & eodem Claudii anno sub ætatis exitum Romam pervenerit.

3. Petrum verò annis quinque & viginti Romæ sedisse neque omnes asserunt, neque nos asserit defendimus. Quando autem id nobis tueri liberet, singulis vigintiquinque annis ita eum Romam constituisse, ut nunquam inde discesserit, minimè stateremus. Potuisset utique inde egredi, & eo annorum intervallo pluries iter modò in Orientem, modò in Occidentem, instituere, ut Ecclesiam necessitas, & Spiritus Sancti ductus expostulassent. Quare nil prohibet, quin Concilio Jerosolymis coacto præfuerit, & Romanam Sedem nihilominus non reliquerit; sicuti à suis Sedibus discedere non dicuntur Episcopi, qui ad Concilia conveniunt. Ab anno Claudii secundo, usque ad Neronis ultimum, quo Petrus Martyrium consummavit, quinque & viginti circiter anni interfuerunt.

Scriptorum igitur in anno, quo Petrus Romam venit, assignando discrepantia adversariis nostris nequaquam favet. Hac in re duo nobis secernenda, quorum alterum ad rem pertinet, alterum accedit; alterum nempe, an Petrus verò se Romam contulerit, quarit; alterum, quo anno eò venerit, quandiu ibi consisterit, an per hanc, an per illam Urbem transferit, investigat. Veteres quidem de primo unanimis conveniunt. Dissidium verò agitari potest de secundo, quin primum vel levissimè

simè concutiatur. An, quod de anno, quo Christus obiit, inter Veteres non conveniat, etiam de ejus morte ambigamus? Circumstantiarum, quæ factum ponunt, dissidium eidem potius confirmando, quam evertendo conducit.

Præterea, cum Petrus à Caligula usque ad Neronem, quo imperante interit, plures Romam contenderit, adversa sententia inter se facile veniunt concilianda. Fortè enim Petrus exordio, anno nempe Claudii imperantis secundo, juxta Eusebium, Hieronymum, & Orosium, Romam venit, eoque etiam se contulit duodecimo, seu decimo tertio Neronis anno, paulò antequam martyrio afficeretur. Reverà Veterum plures Petrum, ut Simonem Magum retunderet, Romam adisse; sibique unà cum Paulo in carcerem conjectum simul martyrio interemptum ferunt (o).

o Ann. Christi. 66. Neron. ultimo.

Mirum neque fuerit, si Paulus vel Romam ad alios, vel aliundè ad Romanos scribens; nunquam Petri meminerit; fortè enim tum, cum Paulus scriberet, Petrus Romam aberat; vel in alia illius amplissima urbis regione degebat; vel iis, ad quos Apostolus Epistolas dedit, præcipua cum Petro seu societas, seu necessitudo non fuerat; vel denique mille aliis de causis contigit, quas divinate non vacat.

Quæ verò adversus nos urgentur, quod Judæi Romæ degentes Paulum adierint, eique de Christiana Religione interrogato illud tantum se scire asseruerint, quod huic sectæ ubique contradiceretur; Judæi hujusmodi ex Fidelibus minimè fuerant, & falsis, quas ab Judææ Hebræorum Epistolis & calumniis hausserant, opinionibus imbuti, Religionem Catholicam solo nomine novèrant. Itaque cum Paulus ex Judæa Romam advenisset, eum, quem doctum virum habebant, facile advere, ut de Christianis, in quos omnium Synagogarum odia exarserant, erudirentur. Licet autem tam ex Judæis, quam ex Ethnicis plurimi, qui Fidem amplexi fuerant, Romæ degerent; attamen, cum hi in Judæorum Synagogam minimè convenirent, Epistola, quam paulò ante ad eos scripserat, facile ad Judæorum infideles non pervenit: quare mirum non fuerit, si de Pauli rebus, de Fidei, ad quam ipse se contulerat, progressu, & de causis, quibus Romam adductus fuerat, se se minimè certiores exhibuerint [p]; Nos neque literas accepimus de te à Judæa, neque aliquis fratrum adveniens nuntiavit, aut loquutus est de te malum.

p Act. 28. 22.

q Act. 10. 47. Grc.

Cum Evangelicos labores Petrus & Paulus ita inter se distribuere, ut à Paulo Ethnici, à Petro erudiendi essent Judæi, quid uterque Apostolus verè senserint, quid potissimum in munere suo exercendo servarint, ignoramus; uterque enim Judæos & Ethnicos promiscuè edocuerit, quorum plurimos ad Fidem genitos baptismo initiarunt. Petrus utique Cornelium, ejusque familiam baptisate abluat (q); & in Concilio Jerosolymis coacto, ut Gentibus Evangelium enunciarer, easque ad Fidem perduceret, se à Deo jam diu antea sele-

ctum testatus est (r). Paulus verò, quocumque iter faceret, nonne Judæos ad Fidem primum instituebat, & tum ad Ethnicos convertebatur, cum inter illos Evangelio aditum patefaciendi spes sibi affulgeret? (s) Petrus igitur, quin Gentibus negligeret, Judæis præcipuè erudendis; Paulus verò, quin Judæis deesset, Gentibus potissimum edocendis se addixerant.

Est tamen, Petrus solis Judæis ad Fidem instituendis incumberet: & Romæ per plurimi, quos excoleret, Judæi degebant. Herode è vivis sublato quinquaginta Legatis, qui Jerosolymis Romam dimissi fuerant, ut à Regum imperio in posterum liberari postulerent, duodecim Judæorum milita sese adjungere (t). Imperante Caligula, maximam Romæ trans Tiberim partem à Judæis frequentatam, scribit Philo (u). Claudius tot tantisque se regnante Judæos Romæ numerabat, ut seditionem veritus, eos inde expellere ausus minimè fuerit, ne unà simul convenirent, vetare contentus (x). Expulit tandem, anno, ut ferunt, imperii sui nono, quod causâ Christianorum tumultus affiduè excitarent (y).

Tunc & Petrus fortè discessit, quod tamen minimè prohibet, quominus sexto Neronis anno, qui Christianos tantum, non Judæos infectabatur, iterum eò fuerit reversus, ubi Judæorum & Christianorum plurimos nactus est (z). Sub Neronis imperantis exitum, Petrus & Paulus per maximam animi alacritate Romam supremam redierunt, ubi, ut Veteres omnes scribunt, martyrium consummarunt.

Illud prætereo, quod ex S. Luca in Actis silentio argumentum sibi adversarii statuant ad Petri Romanum iter evertendum; ac si S. Evangelista Petri historiam sibi referendam suscepisset, ejus utique post decimum sextum Actorum caput videtur oblitus, ut Pauli solius mentionem instituat. De Petri Romano itinere plurimas vulgatas esse fabulas fusè Spanhemius ostendit; plurima nempe & Romæ, & in aliis Italiae urbibus monumenta, Ecclesias, & loca ab ipso Petro consecrata exhiberi, pluries etiam Urbium celeberrimarum coli Episcopos, quos itineris sui comites à Petro adhibitos ostentant; plurimas denique & temporis & loci ambiguas, & commentitias circumstantias producit, ut hujus itineris fidem vel ambiguam reddat, vel omninò evertat (a).

Nostri verò Critici doctiores neque his fabulis, & ambiguis circumstantiis fidem præstant, neque omnibus eà de re popularibus traditionibus adherent. Hæc tamen minimi faciendâ nemò excogitasset, nisi iter hujusmodi omnes exploratum habuissent. Si traditiones inanes, & falsa commenta, quibus Apostolorum, & ipsa Christi acta seu improbè, seu levissimè interferuntur, ea forent argumenta, ut authenticæ historia rejicerentur, ad quas hodie redigeremur angustias, cum tot tantisque fabulis, quas sæculorum ignorantia invenit, totius fidei, certæque autoritatis fa-

r Act. 15. 5. 7. 8. 9.

s Act. 13. 46. Vobis oportebat primum loqui verbum Dei; sed quoniam repellitis illud, & indignos vos judicatis aterna vita, ecce convertimur ad gentes Grc. t Joseph. Ant. l. 17. c. 12. p. 610. u Philo Legat. ad Cajum.

x Diod. lib. 9. hist.

y Sueton. in Claudio. Judæos impulsore Christo assidue tumultuantes Romæ expulit. z Act. 28. 17. Grc.

a Spanhem. Differt. de temerè creditâ Petri in Urbem Rom. profectio. art. 1. & 2.

facta obvolvuntur? Criticorum peritia non omnia penitus rejicit, sed digniora seluigit, & vera à falsis, certa ab ambiguis, historias authenticas ab incertis circumstantiis fecerit.

Ut Romano Petri itineri, & nostræ interpretationi, qua Babylonem de Româ explicamus, fidem adimant, Veterum Scriptorum authoritatem, à quibus utrumque accepimus, infirmare conantur. Papiam, exilis ingenii virum, simplicem, & credulum vocant, & quaedam ejusdem traditiones produunt, incertas prorsus. S. Ignatii Martyris Antiocheni Episcopi textum commentitium patibent, & Epistolam, quam Smirnâ ad Romanos scribit, ei affictam blaterant. S. Irenæum, S. Clementem Alexandrinum, Tertullianum, Origenem, plus nimio credulos, & quibusdam tam facti, quam juris erroribus obnoxios appellant, & ea, in quibus à veritate aberrarunt, curiosè recensentes, illos ut alibi, ita & hic critica, diligentia, & inquisitioni deesse potuisse ostentant.

Optimum sanè contra Patrum authoritatem perfugium! Si trium priorum seculorum Patres nullius fidei, & authoritatis, viri etiam simplices & creduli habendi sint, à quibus nos de Religione erudimur? Protestantibus, qui Præceptorem quemlibet, præter trium eorundem seculorum Patres, rejiciunt, quomodo in dogmatis & doctrinæ rebus eorum testimonio fidunt, si in facti & historiarum rebus nulla eis fides sit adhibenda? Quot nostræ Religionis dogmata factis innituntur, vel saltem cum eisdem ita necluntur, ut secerni non possint? Si Ignatius, Clemens Alexandrinus, Origenes, Tertullianus nullam sibi fidem vendicant, eorumque testimonium prorsus rejiciendum ducitur, quos testes ma-

joris fidei, ingenii, nominis, & authoritatis adhibebimus?

At enim pluries decepti sunt. Et eos homines fuisse fatemur. Verùm & hic deceptos esse validis argumentis aduersarii ostendant. Concludit ne ratiocinium: Et hic, sicut alibi, decipi potuerit; ergo reuera decepti sunt? Errorem probent, alacinationem proferant; & nos ultro fatebimur. Quæ nisi præsentent, nobis utique maximi habenda eorum authoritas, præsertim eum de facto agatur publico, cognito, celeberrimo, & quod Religionis, & Ecclesiasticæ Disciplinæ permagni intererat, ne tanti ponderis res lateret, ubi nempe præcipua resideret authoritas, quod in controversiis confugiendum, & quod unitatis, doctrinæ, & communionis centrum omnibus habendum foret. Plurimi denique eorum ducendum est testimonium de facto, de quo, quamvis re inconcussa nonnullam levissimam ponderis circumstantiam immutent, omnes unanimitate conveniunt.

Concludamus igitur, Romanam Petri iter certè constare, & omnium Veterum; imò plurimorum etiam ex doctioribus Protestantibus Criticorum testimonio exploratum haberi. Textum verò primæ Petri Epistolæ, quo Babylone scriptis innuitur, neque de Chaldeæ, neque de Ægypti Babylone, neque de Jerosolymis, sed de Româ solummodò cum omnibus vetustæ ætatis Authoribus esse explicandum; eos denique, qui huic vetustissimæ, validissimæque argumentis innixæ sententiæ aduersantur, neque dignos esse, quibus respondeamus, cum vel negativa argumenta, vel circumstantiarum diversitatem tantummodò obijciant, quæ rem minimè evertunt.

DISSERTATIO

DE LIBRORUM SACRORUM Inspiratione, ad 2. Petr. 1. 21.

ARTICULUS PRIMUS.

Certa Librorum S. Scriptura Inspiratio.

Sunt qui ingenii perspicaciam, ostentantes, & supra Vulgi præjudicia sese effrentes, nil de Religione excipiant, quod argumentorum trutinâ non habeant exploratum. Unde Scripturam, quam allegamus, suam authoritatem derivet, assidue postulant; nobis verò respondentibus, à Spiritu Sancto, à quo Ecclesia certè inspiratam se novit; unde hoc certè sciat, reposcunt; quibus si Ecclesiam errare non posse dixerimus, quod ipse Dominus se commissurum spondit, *ut porta Inferi non prevaleant adversus eam* [a], minimè acquiescunt; imò quid, subdunt, ad Ecclesiæ falli nesciæ argumentum Scripturæ authoritas producit, cum de Scripturæ authoritate sit controversia? Circulum utique vitiosè ducimus, & incertis ambigua probamus. Quare directa sibi petunt exhiberi argumenta, positivè Scripturarum inspirationem evincantia.

Ut his satisfaciamus, conabimur. Nisi Scripturæ essent Divinitus inspiratæ, in maximum Religio nostra discrimen adduceretur; & nisi id à nobis perspicue queat ostendi, Fidei hostes nimiam de nobis victoriam obtinerent. Si Religio humanis tantummodò argumentis innititur, vera Religio prorsus corrumpitur; de eâ enim certis, & inconcussis destitutâ principis quisque, ut sibi collibitum erit, decerneret: hic alterum rejiciet articulum, alteri ille adhaerebit; hic martem suo Fidei dogma instituet; ille ritum Religionis inducet; neque inde cultus & Fides proba, & rationi concors exsurgere, sed monstrum ex variis, & nullo inter se nexu copulatis opinionibus compagium produceretur. Quæ utique Religio à verâ Religione longissimè abesset. Quare necesse est, certo & immutabili principio fides nostra fulciatur.

Quod sanè principium Deum ipsum esse defendimus, Deum, inquam, qui suas nobis veritates in Scripturis aperuit, easque tuendas, & explicandas credit Ecclesiæ, cui, sicuti & Sanctorum Librorum Authoribus, lumen falli nescium impertit.

Hæc in nostra Dissertatione probanda. Eos verò cum quibus hæc nobis disceptatio, satis persuasos credimus de existentia Dei, de animæ immortalitate, & de necessitate veræ Religionis, qua Deo Fidem, amorem, & famulatum pro viribus præstandas esse erudiamur.

Eos præterea, qui Librorum Sacrorum inspirationem impugnant, rogamus, ut illos saltem, veluti Libros authenticos, verasque historias referentes excipiant, tantique habeant, quanti Libros, quos Ethnici, & prophani Authores fide digni, & rerum, de quibus agunt, periti dedere. Ea sanè fides Moyfi & Evangelistis neganda non est, quæ Thucididi, Julio Cæsari, Suetonio, aliisque Historicis. Si hæc nobis dederint, & pugnandi cupidinem, cæteraque falsa præjudicia ex animis expellant, Libros, quos Sacros, & inspiratos defendimus, hujusmodi verè esse, ipsis liquidò nos ostensuros nobis pollicemur.

Si Deus est, est etiam Religio: homini enim quædam necessarid præstanda sunt, quibus Deum supremum esse Dominum, se verò famulum profiteatur. Religio autem minimè subsistit, nisi expressè revelentur, quæ Deus ab homine exigat, & quomodo cultus, & famulatus sibi velit impendi. Si enim homini indulgeret, ut is quemcumque vellet, sibi cultum tribueret, omnibus, ut libitum cuique esset, fidem, & cultum instituentibus, in errorum, & superstitionum congeriem Religio transmutaretur.

Hæc insuper revelatio subsistens, æquabilis, & permanens esse debet. Si Deum, quæ nobis & credenda, & exercenda sunt, singulis seorsum revelare dixerimus, phantasmio utique & impietati aditum pandemus; se quisque deciperet, Deumque sibi inspirasse putaret, quod ipse per se ipsum excogitasset. Quare nil fixum, nil certum, adeoque nulla Religio in Religione esset; incerta enim Religio à re nulla magis quam à verâ Religione discedit.

Revelatio fixa & certa esse nequit, nisi in publicis, communibus, & hominum captui accommodis documentis tradatur;

O o hu-

a. *Matth. 16. 18. Super hanc Petram edificabo Ecclesiam meam, & porta inferi non prevalebunt adversus eam.*